

dolfus de Wedenswile, Volmarus de Caminata, Heinricus de Werbenwac, Gozwinus de Hoinfels, Iohannes de Blumenberg et alii quam plures fide digni.

Actum apud Turegum, VIII. Kl. Februarii, regni nostri anno primo.

**Nr. 86. (80). Privilegium de non evocando für die Reichsstädte. —  
1274, Sept. 20.**

MG. Const. III, Nr. 69, S. 58.

Rudolfus Dei gracia Romanorum rex semper augustus universis Romani imperii fidelibus gratiam suam et omne bonum. Volentes dilectos cives nostros Turicenses ac omnes alias civitates nobis et imperio attinentes hac gracia prerogativa gaudere, ut nullus extra huiusmodi civitates super quacumque causa in iudicium evocetur, sed si quis contra cives dictorum locorum aliquid habuerit actionis, coram iudice civitatis actione proposita recipiat quod est iustum, singulis ac universis nostris officialibus, iudicibus et fidelibus damus presentibus in mandatis, ne contra presentis nostri decreti tenorem cives predictos extra suam civitatem super quacumque causa audeant evocare, in civitatibus singulis de civibus singulis iusticiam recepturi.

Datum Hagenowe, XII. Kal. Octobris, indictione secunda, regni nostri anno primo.

**Nr. 87. (81). Gesetz vom Reichstag zu Nürnberg. — 1274, Nov. 19.**

MG. Const. III, Nr. 72, S. 59—61.

**Statuta curie Nürenberg celebrate.**

In publico consistorio tempore sollempnis et regalis curie Nurenberc celebrate, consistentibus principibus ac honorabili caterva comitum et baronum, maximaque multitudine nobilium et plebeiorum astante coram serenissimo domino Rudolfo Romanorum rege ad exhibendum unicuique iusticie complementum:

(1) Primo peciit rex sentencialiter diffiniri, quis deberet esse iudex, si Romanorum rex super bonis imperialibus et ad fiscum pertinentibus et aliis iniuriis regno vel regi irrogatis contra aliquem principem imperii haberet proponere aliquid questionis. Et diffinitum fuit ab omnibus principibus et baronibus qui aderant, quod palatinus comes Reni auctoritatem iudicandi super questionibus, quas imperator vel rex movere vult principi imperii, optinuit et optinet ex antiquo. (2) Sedente itaque pro tribunali dicto Palatino comite, rex peciit primo sentencialiter diffiniri, quid ipse rex de iure possit et debeat facere de bonis, que Fridericus quondam imperator, antequam lata esset in ipsum deposicionis sententia, possedit et tenuit pacifice et quiete, et de bonis alias imperio vacantibus, que bona alii per violenciam detinent occupata. Et sentenciatum fuit, quod ipse rex de omnibus talibus bonis se debeat intromittere et ipsa bona in suam retrahere potestatem; et si aliquis in recuperandis talibus bonis ipsi regi se opponere presumeret, iniuriosam violenciam regali potencia debeat repellere et iura imperii conservare. (3) Secundo peciit rex sentenciari, quid iuris sit de rege Boemie, qui per annum et diem et amplius a die coronacionis regis Roman(orum) celebrate Aquisgranis contumaciter supersedit, quod feoda sua a rege Roman(orum) nec peciit nec recepit. Et sentenciatum fuit ab omnibus principibus et baronibus, quod quicumque sine causa legitima per negligenciam vel contumaciam per annum et diem steterit, quod de feodis suis se non pecierit infeodari, ipso lapsu temporis cecidit a iure omnium feodorum suorum. (4) Tercio peciit rex sentenciari, qualiter contra regem Boemie deberet procedere ad ipsius contumaciam reprimendam. Et sententia fuit lata, quod palatinus comes Reni per virum ingenuum ad certum locum et diem, videlicet infra sex septimanas et tres dies a die iudicii numerandos, deberet dictum regem citare coram ipso Palatino que-